


duntur. Posito ergo (quod tamen plerumque naturæ beneficio fieri diximus) ut hoc unguento vulneratus sanetur: Diabolum tamen, ut perdat animam, corpori aliquo modo prodesse, impossibile non est, imò credibile, cum infensissimus hominum hostis sit, iisque quocunque modo potest, ad nocendum paratissimus, & proinde quantum potest, à Deo creatore benefico, & mediis ab eo ordinatis, hominem ad res supersticiosas deducit.



# JOHANNES CONRADUS WECHTLER,

De

## UNGUENTI ARMARII DIFFICULTATIBUS.

I.

*Quid de Unguento magnetico judicandum sit.*

**A**Dverte, solere quosdam cerebri debilioris homines conficere unguentum ex certis ingredientibus infra dicendis, eoque omnis generis vulnera in quodvis etiam distans curare; ad hoc autem efficiendum non applicant unguentum vulnere ut chirurgi solent, sed qui distantes sunt, gladio, pugioni, clavo vel cuicunque rei qua vulnus inflictum fuit, tum gladium illum aut pugionem fasciis diligentissimè circumligatum fovent, non secus ac si pars aut membrum corporis læsum esset, quo facto confestim ajunt diducta vulnera & vulneris labra in distantissimis etiam locis mirabiliter in unum coire eaque facilitate conglutinari, ut nec vulneratus dolorem sentiat, nec magnas impensas facere cogatur. Quod si gladius aut pugio quo inflictum fuerat vulnus, desit, tunc telum aut particulam ligni accipiunt, eaque vulnus ad sanguinem usq; fricant, & in unguento præsentem reponunt;